

1.2.8

*Imp. Theodosius A. Isidoro pp. Illyrici.*

Sacrosancta Thessalonicensis ecclesia civitatis aperte sciat propriae tantummodo capitationis modum beneficio mei numinis sublevandum nec externorum gravamine tributorum rem publicam ecclesiastici! nominis abusione laedendam.

*D. VI id. Oct. Constantinopoli Victore cons. [a. 424]*

1.2.9

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. Cyro pu.*

Qui sub praetextu decanorum seu collegiatorum, cum id munus non impleant, aliis se muneribus conantur subtrahere, eorum fraudibus credidimus obviandum, ne quis sub specie muneris, quod minus exsequitur, alterius muneris oneribus relevetur, ne argentariorum vel nummulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantum collegiati vel decani festinant.

1 ¶ Ideoque si quis eorum sub nudae appellationis velamine collegiatum se seu decanum appellat, sciat pro se alium subrogandum, qui praedicto muneri sufficiens adprobatur, subrogatione videlicet memoratorum vel eorum qui moriuntur primatum eius qui subrogatur admissio iudicio: ab hac dispositione nemine se excusante sacrosanctarum ecclesiarum reverentia.

*D. X k. April. Theodosio XVII et Festo cons. [a. 439]*